

allegatis constat; ergo signum est non esse acceptabile a Deo ad præmium. Quin potius scriptum legimus, Jerem. 48: *Maledictus qui facit Dei opus negligenter.* Unde Basilius, libr. seu serm. 2 de Baptism., cap. 8, ubi ex professo probat non esse acceptum Deo opus præcepti non competenter seu legitime factum, declarat autem illud non ita fieri, *quod vel præter locum delitum, vel præter temporis opportunitatem, vel præter personæ decorum, vel præter causam, vel præter mensuram, aut præter ordinem, sive præter animi propositum agitur.* Similia videri possunt in Chrysostomo, Homil. 13 in Matth., in Imperfecto. Et potest tertio idem confirmari, quia tale opus non potest dici opus pietatis, et consequenter neque est opus gratiæ; ergo nec meritorium, nam, ut ostendemus, non sunt meritoria opera nisi quæ sunt ex gratia. Quarto denique, si idem opus posset esse bonum ex objecto, et malum ex circumstantia, posset esse non solum veniale, sed etiam mortale peccatum, re-tenta eadem bonitate ex objecto, et ita idem actus de se posset mereri damnationem æternam, et simul mereri præmium apud Deum, quod absurdissimum est. Sit ergo certum solum opus sincere et pure bonum (ut sic dicam) esse meritorium de condigno apud Deum, et opus simpliciter malum, quale est omne illud quod habet aliquem moralem defectum, esse tantum demeritorium apud Deum, sive illi malitiæ possit esse admista aliqua bonitas in eodem actu, sive non possit, ut probabilis est.

11. *Assertio ultima resolvens quæst. 3 et 4 posita in num. 5. — Probatur assertio.* — Ad do vero ultimo accidere interdum posse ut actui simpliciter bono et meritorio simul conjungatur aliquis actus leviter malus, qui non destruet in actu concomitante rationem meriti, licet ipse per se pœnam aliquam mereatur. Hæc assertio potest sumi ex D. Thoma 2. 2, quæst. 83, art. 13, præsertim ad 1, quatenus ait meritum ejus, qui ex instinctu Spiritus Sancti ad orandum accedit, durare quamdiu orando ex eadem intentione perseverat, licet attentionem amittat, et ex aliqua infirmitate mens ejus evagetur. Si tamen divus Thomas attente legatur, non loquitur de mentis evagatione culpabili ex negligentia, sed inculpabili ex infirmitate, ut in solutione ad 3 declarat, ubi potius addit quod, *si quis ex proposito in oratione mente evagetur, peccat, et orationis fructum amittit*, cum tamen peccatum illud solum sit veniale. Nihilomi-

nus assertio posita probari potest in hunc modum. Duobus enim modis intelligi potest. Primo, ut intelligatur operi meritorio posse admisceri demeritum, non secundum eandem partem seu indivisibilem durationem, sed secundum diversas, et veluti per quamdam operis meritorii interruptionem, et sic est res clara. Nam si opus meritorium habeat successione, ut est, verbi gratia, recitatio unius Horæ, fieri potest ut oratio optimo merito inchoetur et paulo post per negligentiam venialem aliqua vana cogitatio misceatur, iterumque statim rejiciatur, et oratio debito modo continuetur; tunc ergo orationis meritum, quod in principio habuit, non perditur propter subortam venialem culpam, neque etiam illa impedire potest quominus, illa rejecta, ad orationis meritum redeatur, ut est per se clarum. Alio modo intelligi potest assertio pro eadem omnino duratione, et sic in ea supponitur posse hominem simul habere duos actus, quorum unus non sit circumstantia alterius, etiamsi unus habitudinem aliquam ad alterum habeat. Quod quidem per se et ex principiis philosophiæ est satis probabile, et experimento videtur posse probari; nam qui facit bonum opus, verbi gratia, communicat coram aliis, potest id non facere ut videatur ab aliis, sed optima intentione, et debito tempore, loco, et modo, ac proinde actum religionis simpliciter bonum ac meritorium efficere. Et nihilominus simul et eodem tempore potest insurgere cogitatio et delectatio quod propter illum actum bonus ab aliis reputetur, et quod in illo actu morose et voluntarie complacere, non sine veniali culpa. Nam hi actus non repugnant esse simul, ex eo solum quod plures sunt; suppono enim ex aliis locis philosophiæ et theologiæ posse animum simul pluribus intendere, quando et attentio ipsa minor est in singulis, et præcipue si illa inter se aliquam habitudinem observent; utrumque autem in præsentia facile potest concurrere. Nam actus meritorius non semper est ita intensus, quin det locum alteri cogitationi, cujus materia et objectum sit ipsemet actus bonus; poterit ergo tunc voluntas de eodem actu, aut de laude et opinione ejus vane complacere. Neque etiam repugnant simul isti actus propter peculiarem oppositionem quam inter se habeant. Nam, licet unus sit bonus, et alter malus, sunt omnino disparati, sicut assensus verus et falsus diversorum objectorum, et actus malus non est circumstantia actus boni,

quia non est finis ejus, ut supponimus, neque alia circumstantia ibi locum habet; nam potius actus malus supponit bonum cum suis circumstantiis, et hic est quasi objectum alterius, quod etiam non repugnat, quia ipsa virtus potest esse materia circa quam malus actus versetur. Hoc ergo modo non repugnat cum actu bono simul esse aliquid demeritum ratione alterius concomitantis actus.

12. *Ad suasionem positam in numero quæsto. — Ad primam confirmationem. — Ad secundam.* — Atque hoc ad summum probat ratio dubitandi in principio posita; nam quando actus sunt distincti, optime discernitur bonum a malo, et opus gratiæ a defectu nature, vel tentatione dæmonis. Necessarium autem est, ut malum non transcendat malitiam venialis peccati, quia si peccatum mortale sit, destruet gratiam et charitatem, et consequenter tollet radicem meriti de condigno, etiamsi cum actu bono simul esse possit, ut voluntarius actus fidei internæ potest simul esse cum voluntate negandi illam exterius, quæ peccatum mortale est et ideo tollet meritum talis fidei; si autem quis simul cum fide interna haberet voluntatem confitendi illam propter honorem humanum, licet in hoc peccaret venialiter, non amitteret meritum internæ fidei. Ad exempla vero adducta in prima confirmatione, respondetur in illis omnibus nullum fuisse meritum de condigno; an vero fuerit aliquid meritum de congruo, postea videbimus, et videri etiam potest D. Thomas, infra, quæst. 114, art. 10, ad 2, ubi exemplum de obstetricibus exponit juxta quartam assertionem nostram, nam potuerunt habere duas voluntates: unam, qua timuerunt Deum ne occiderent parvulos Hebræorum; alteram, qua mentitæ sunt, quæ non fuit circumstantia prioris, et ideo potuit in priori esse meritum, non obstante posteriori. Idemque de Raab dici facile potest, ut ex historia constat. In rege autem Babylonis revera nullum fuit meritum, ut D. Thomas etiam significat, quia, in ipsomet actu debellandi Tyrum, Nabuchodonosor pravam intentionem habuit, quia, non ut Deo serviret, sed ut per vim dominaretur, Tyrum impugnavit. Deus autem dicitur retributionem seu mercedem ipsi et exercitui ejus tribuisse, non per comparisonem ad meritum regis, sed per comparisonem ad suam motionem, ut ait D. Thomas, id est, ut ostenderet sibi placuisse supplicium Tyriorum, etiamsi ad

illum usus fuerit peccato regis Babylonis, non instigando, sed permittendo. Ad ultimam confirmationem respondetur imprimis, probare ultimam assertionem; deinde dicitur, forte ita esse, quod multa putantur merita apud homines, quæ apud Deum talia non sunt, et ideo necessarium esse justis cum timore et tremore et magna circumspectione suam salutem operari. Tandem vero dicimus in justis frequenter esse posse opera pure bona sine ulla malitia, ut contra hæreticos hujus temporis Concilium Tridentinum docuit, et supra l. 1 et 10 diximus.

## CAPUT V.

UTRUM AD MERITUM REQUIRATUR OPUS SUPEREROGATIONIS SEU CONSILII, VEL POSSIT ESSE ETIAM IN OPERE PRÆCEPTO?

1. *Opinio Cisterciensis' excludens a merito opus præceptum. — Ejus fundamentum primum. — Secundum. — Tertium.* — In hoc puncto fuit quædam singularis opinio, dicens opera præceptorum non esse meritoria apud Deum de condigno ac justitia, sed tantum opera bona, quæ sponte sua homo facit sine obligatione præcepti. Ita tenuit Dionysius Cisterciensis, in 3, quæst. 2, art. 3, sub initium, et quæst. 3, art. 2, concl. 8, et nullus alius quem viderim. Fundari potuit primo in verbis Luc. 17: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Secundo, potest inde formari ratio, quia servus nihil meretur apud dominum, eo quod præcepta ejus impleat, nec debitor aliquid apud creditorem meretur, reddendo illi quod suum est, quia revera nihil illi confert de suo; ergo neque homo, implendo præceptum divinum, potest per illum actum mereri aliquid apud Deum, quia id plusquam ex justitia debitum Deo est. Simili enim ratione utitur Durandus in 2, d. 27, quæst. 2, ut probet apud Deum non posse esse meritum de condigno, cui merces ex justitia debeatur, quia quidquid Deo offertur, magis est illius quam hominis operantis, et multo magis urget quando accedit debitum ex præcepto. Tertia ratio addi potest, quia præceptum interdum tollit omnem libertatem, ut in his qui præceptum transgredi non possunt, ut in Christo, Beata Virgine, et aliis in gratia confirmatis, in quibus illud locum non habet: *Potuit transgredi, et non est transgressus*, et consequenter neque illud: *Ideo stabilita sunt bona ejus in*



*Domino*; imo potius, ideo stabilita sunt, quia peccare non possunt. In aliis vero, licet præceptum non auferat naturalem libertatem, aufert morale; sed hæc videtur esse maxime necessaria ad meritum, quod (ut diximus) morale quid est, et plenum dominium operis requirit; ergo.

2. *Præcedens opinio ut erronea impugnetur.*—Hæc vero sententia non solum temeraria est, sed etiam, ut ego existimo, erronea. Nam imprimis contrarius est communis consensus Theologorum, quos propterea referre non est necesse. Deinde tota Scriptura, ut quidam vir doctus et pius dixit, docet observationi mandatorum promissam esse vitæ æternæ mercedem. Nam Matth. 5 sufferentibus persecutionem propter Christum, quamvis ad id ex præcepto teneantur, dicitur: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Item dilectio inimicorum in præcepto est, Matth. 5, et tamen de illa dicitur, Luc. 6: *Diligite inimicos vestros, et erit merces vestra multa nimis.* Paulus etiam, ad Timoth. 4, dixit: *Fidem servavi*, quod sine dubio præceptum est, et tamen subdit: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Et aliis locis indifferenter laborantibus et bene operantibus præmium promittitur, ut prima ad Corinthios, tertio; ad Galatas 6; Apocalypsis. 11 et 14, quam promissionem ad opera non præcepta limitare magnus error est, præsertim cum Scriptura sæpe addat distributionem: *Unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino*, ad Galat. 6. Denique Concilium Tridentinum, sess. 6, capit. 16, docet nihil justificatis deesse, *quominus plane illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam vere promeruisse censeantur.* Ubi non distinguit duo genera operum: alia, quibus præcepta implemus, et alia, quibus vitam æternam meremur; sed eisdem operibus utrumque a nobis fieri manifeste docet, juxta illud Matth. 19: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Unde potest novum confici argumentum, nam, si adultus mandata servet usque ad mortem, et nullum aliud opus bonum non præceptum faciat, consequetur vitam æternam, ut ex dictis verbis Christi constat, et quia id faciens non peccabit mortaliter; ergo per opera præceptorum meretur vitam æternam. Probatum consequentia, quia adulti, qui bene et male operari possunt, non acquirunt beatitudinem sine propriis meritis, quia omnes recipiunt il-

lam, tanquam coronam justitiæ, teste Paulo, 2 ad Timoth. 4, *et non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, ut idem Apostolus in eadem epistol., cap. 5, adjungit. Ratio vero a priori est, quia homo non meretur apud Deum eo quod aliquid faciat, quod Deo sit utile, aut in commoditatem ejus cedat, sed quia propria voluntate id facit quod debet, ut dixit D. Thomas, 1. 2, quæst. 14, art. 1, ad 1, et consonat illud Ecclesiast. 31: *Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illa gloria æterna; qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit, ideo stabilita sunt bona ejus in Domino*; sed qui implet præceptum, propria voluntate facit quod debet, et de illo maxime dicitur: *Potuit transgredi, et non est transgressus.* Et similiter qui voluntarie superat tentationem, volens non facere quod prohibitum est, voluntarie facit quod debet, et tunc proprie potuit facere mala, et non fecit; ergo per hos actus meretur gloriam æternam, et ut stabiliantur bona ejus in Domino.

3. *Corollarium primum.*—*Obligatio præcepti non minuit meritum.*—Unde colligitur primo, tantum abesse ut obligatio præcepti tollat meritum, ut neque extenuet illud nec minuat; quia præceptum nec minuit libertatem in operando, nec minuit operis honestatem; cur ergo minuit meritum? Antecedens quoad utramque partem certissimum est, quia præceptum non infert vim voluntati, neque immutat modum proprium operandi ejus, sed quasi extrinsece, seu ex parte objecti illam excitat, et de se bonum est, et bona operis conditio seu circumstantia; ergo non est unde possit minuere meritum operis.

4. *Corollarium secundum: opus præceptum est magis meritorium quam non præceptum, cæteris paribus.*—Quin potius hinc videtur concludi opus præceptum, cæteris paribus, magis esse meritorium quam non præceptum, ac proinde præceptum, per se loquendo, conferre ad meriti augmentum. Probatum, quia opus præceptum, cæteris paribus, melius est, quia addit circumstantiam obedientiæ formalis, seu virtualis, quæ bonitatem auget; ergo et meritum. Item opus factum ex voto, cæteris paribus, magis meritorium est, ut cum D. Thoma, Cajetano, et aliis auctoribus diximus in tom. 2 de Relig., lib. 1 de Voto, capit. 17, et tamen votum facit opus magis debitum, imo facit esse in præcepto, quod fortasse antea non erat; ergo simili ratione opus præceptum, cæteris paribus, melius est

non præcepto, ut recte sensit Anselmus in libr. de Similitud., cap. 82 et 84. Dico autem semper, *cæteris paribus*; nam, si in aliis conditionibus sit inæqualitas, non est dubium quin possit inde compensari, vel etiam superari observatio præceptorum. Potest autem id variis modis contingere. Primo, si quis minus voluntarie, et quasi invitus opus præceptum impleat, alius vero magna voluntate, et majori fortasse intensione faciat opus non præceptum. Et quia in operibus non præceptis solet esse major occasio ostendendi hanc liberalem voluntatem, ideo solent etiam ex hac parte præferri secundum quid opera non præcepta. Et ideo etiam interdum abstinetur a præcepto, ut illud facilius locum habeat: *Non ex tristitia, aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*, ad Corinthios 9. Idemque insinuavit idem Paulus scribens ad Philemonem: *Multam fiduciam habens in Christo JESU imperandi tibi, quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro*, etc. Secundo, si opus consilii ex suo genere melius sit, ut amor non præceptum jejuniæ præcepto. Tertio, si operibus præceptorum opera consiliorum addantur, quomodo castitas simpliciter magis meritoria est, quam conjugalis. Quomodo dicere solent Patres, opera consiliorum magis meritoria esse, quam opera præceptorum, sicut loquitur Augustinus, lib. de S. Virgin., cap. 14, ubi ait multa esse facienda libenter, non jubente lege, et ea sunt in nostris officiis gratiora, utique cum illis adduntur quæ jubente lege fiunt; et Ambrosius, l. 10, epist. 82 ad Vercellens., et Chrysostomus optime, homil. 22 in 1 ad Corinthios.

5. *Tertium corollarium: opus bonum potest esse meritorium, esto nec præcepti sit, neque consilii.*—Ultimo addo non tantum opus præceptum et opus consilii, sed etiam in universum opus bonum, licet neutram ex dictis conditionibus habeat, esse aptum ad meritum, seu meritorium, si aliæ conditiones concurrant. Hoc adnoto, quia non omnia opera bona non præcepta possunt dici opera consilii, ut, verbi gratia, opus matrimonii de se bonum est, non tamen est in consilio, licet non sit præceptum, et multa opera moralia possunt esse similia, quæ, licet bona sint, non sunt tamen optima nec meliora aliis, quibus simul repugnant; opus autem consilii dicitur quod melius est alio opere bono sibi repugnante, licet præceptum non sit. Dicimus ergo talia opera bona, etiamsi infimæ

conditionis esse videantur, et ex parte præcepto necessaria non sint, quando bene moraliter fiunt, meritoria esse. Quod videtur satis probari ex illa universali locutione Scripturæ: *Unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino.* Et optime idem confirmat id, quod ponderat Concilium Tridentinum, dicto cap. 16: *In sacris litteris usque adeo bonis operibus tribui, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigide dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum.* Nam hoc universaliter verum est, etiamsi tale opus fiat, quando nec præceptum est, nec est melius cæteris operibus quæ tunc fieri possent, dummodo bene et studiose fiat. Idem ergo est de quocumque simili. Ratio autem fundata in ipso opere, præter promissionem Dei, est quia, eo ipso quod bonum est et liberum, habet aliquam dignitatem moralem, ratione cujus et est dignum laude, et quatenus bene fit, cedit aliquo modo in gloriam Dei, quatenus consentaneæ fit ad voluntatem ejus, eo ipso quod recte fit.

6. *Ad primum fundamentum in num. 1.*—Superest ut fundamentis contrariæ sententiæ satisfaciamus; et ad verba Christi, Luc. 17, quæ hæretici contra omnia hominum merita detorquent, facile responderi potest Christum non dixisse: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Nihil meruimus*, vel: *Nulla merces debetur*, sed dixisse: *Servi inutiles sumus*, quia, servando præcepta, nullam utilitatem Deo afferimus, quod nihil obstat merito, quia, ut dixi, non fundatur in commoditate, vel utilitate quæ Deo accrescat, sed in voluntaria honestate quæ ex se cedit in gloriam Dei. Et quod ad præsentem questionem attinet, illa verba Christi, etiam in operibus consiliorum, vera sunt, eisque uti debemus; nam etiam cum fecerimus omnia quæ Deus nobis consulit, dicere debemus: *Servi inutiles sumus.* Unde non mihi displicet communis illorum verborum interpretatio, quam ex multis Patribus, quos allegat, Maldonatus ibi refert, illa verba esse dicta a Christo ad humilitatem nobis commendandam, quia, quantumvis aliquis bene operari videatur, non debet de suis meritis præsumere, vel quia semper potest formidare an talia sint, juxta illud: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est*, 1 ad Cor. 4; vel quia, etiamsi ei constaret opera esse digna merito, non posset præsumere de se, ac si aliquid utilita-



illis Deo attulisset; imo, ut Concilium Tridentinum supra monuit, neque posset in se gloriari, et non in Domino, cujus tanta est in homines bonitas, ut eorum velit esse merita quæ sunt ipsius dona, ut etiam dixit Cœlestinus Papa, in epistol. 4 ad Episcop. Galliæ, capit. duodecimo. Illis ergo verbis exaggerat Christus misericordiam Dei, qui mercedem promittit pro operibus quæ ipse donat, et ipsi utilia non sunt, sed operantibus, Deoque multis aliis titulis debentur, sive ex præcepto, sive ex gratitudine, sive ex charitate, aut religione. Et consequenter humilitatem commendat, ut diximus. Ac denique insinuat eum qui tantum præcepta implet, nihilque liberale seu superogationis accumulat, non mereri a Deo specialiora subsidia, non quidem quod promissam mercedem non mereatur, sed quod ultra illam nullum alium peculiarem favorem dignus sit a Domino obtinere. Et hoc ultimum maxime accommodatum videtur parabolæ, ut dictus auctor egregie prosequitur.

7. *Ad secundum fundamentum in eodem num.* 1. — Ad rationem respondetur, illam in omnibus operibus, etiam non præceptis, habere locum; unde ad summum probat nostrum meritum apud Deum non esse de rigore justitiæ, quia meremur per dona ipsius Dei et per opera quæ illi sunt multis titulis debita; imo magis illius sunt quam hominis. Non tamen probat illa ratio nostra opera non posse esse simpliciter meritoria, etiam si præcepta sint, quia præceptum solum addit quamdam obligationem, quæ non magis impedit meritum, quam quælibet alia ratio debiti. Neque est similis ratio de merito apud Deum et apud homines; nam inter homines consideratur valor operis, juxta quantitatem laboris in utilitatem alterius impensi; apud Deum autem moralis bonitas præcipue spectatur ex parte operis, quia Deus, ut ait D. Thomas, ex bonis nostris non quærit utilitatem, sed gloriam, quæ ex bonitate operum resultat, et a nobis dari Deo censetur, quatenus propria voluntate ea libere facimus, quod non minus locum habet in operibus præceptis quam in non præceptis, ut ostendi. Ad alteram rationem, respondetur in priori ejus parte falsum assumi, quia neque Christo præceptum abstulit libertatis usum, ut in tom. 4 tertiæ partis ostensum est, et a fortiori neque Virgini, neque aliis confirmatis in gratia, qui, licet, supposita speciali providentia auxilii congrui

illis specialiter promissi seu collati, infallibiliter non peccent, nihilominus simpliciter peccare possunt, ut ex dictis supra de auxilio efficaci facile intelligi potest, et iterum de dono etiam perseverantiæ diximus. In altera vero parte, falsum est quod præceptum tollat libertatem moralem, nam libertas moralis non in hoc consistit quod aliquid possit tam fieri quam omitti impune, seu sine culpa, sed in hoc quod sit facultas agendi et non agendi per intrinsecum rationis usum, sive actio vel omissio licita sit, vel non sit; et in hoc consistit dominium ad moralitatem actus sufficiens; quamobrem in eo sensu immerito distinguitur naturalis libertas a morali. Quod si quis per libertatem moralem intelligat libertatem, seu potius liberationem, aut exemptionem ab obligatione seu necessitate præcepti, sic negamus talem libertatem esse necessariam ad moralem actionem, vel morales proprietates ejus, ut est evidens in actibus peccaminosis et demeritoriis, idemque est in meritoriis, ut ostensum est.

## CAPUT VI.

UTRUM SOLUS ACTUS INTERNUS VOLUNTATIS SIT MERITORIUS, VEL ETIAM EXTERNUS?

1. *Tractandæ questionis ratio.* — Videatur etiam auctor in tractatu de Bonitate et malitia actus humani, disp. 10. — Similis quæstio tractari solet a Theologis de bonitate et malitia humani actus, 1. 2, quæst. 20, art. 3 et 4, et in 2, d. 41, et cum illa videtur præsens quæstio de merito connexa, quia meritum ex parte actus in ejus bonitate fundatur; nihilominus tamen mihi visa est hoc loco necessaria, quia et propriam difficultatem habet, et ad alias conditiones meriti explicandas viam parat et utilis est. Adverto igitur actum internum hic appellari, solum illum qui a voluntate elicited est, quia solus ille est formaliter liber. Actus ergo externi imprimis sunt omnes illi qui per externa membra corporis exercentur, deinde etiam illi qui in interiori sensu, vel appetitu, vel etiam in intellectu ex motione seu imperio voluntatis fieri possunt. Imo etiam in ipsa voluntate, licet omnes actus ejus, quatenus ab ea sunt elicited, sint proprie interni, nihilominus, quatenus eadem voluntas per unum actum sibi imperat alium, imperatus vocatur a multis actus externus respectu imperantis,

et hic dicitur proprie et pure internus. Verumtamen, juxta communem usum, actus externus est actus alterius potentiæ a voluntate, et in hoc sensu nunc loquimur. Nam, et ille est externus maxime proprie, et propriam etiam habet difficultatem. De actibus vero a voluntate elicited, quatenus unus ab alio imperari aut ordinari potest, inferius tractando de bonitate actus interni, quæ ad meritum confert, commodius dicemus.

2. *Prima suppositio.* — Præterea, ut certa ab incertis secernamus, et punctum difficultatis, remota quæstione de nomine, attingamus, supponendum imprimis est nullum actum alterius potentiæ a voluntate esse meritorium, nisi a voluntate imperetur. Hoc manifestum est ex principio posito in cap. 4, quia non est meritorium actus nisi sit liber; sed nullus actus alterius potentiæ a voluntate non imperatus ab illa est liber, quia non immediate seu formaliter talis est, cum non eliciatur a potentia libera; nec mediate seu denominative, cum non imperetur a potentia libera, ut supponitur; ergo nullo modo est meritorium. Potestque confirmari, quia simili modo nullus actus externus, quantumvis malus vel prohibitus sit, est demeritorius, nisi aliquo modo a libera voluntate sit; ergo idem est in merito. Unde est illa vulgaris sententia Augustini, *voluntatem esse qua peccatur, aut recte vivitur.* Neque in hoc diversitatem opinionum invenio. Solum posset allegari Durandus, quatenus opinatur intellectum esse potentiam formaliter liberam, sicut est voluntas; nam, si id verum est, cessat ratio facta et optime defendi potest, imo consequenter dicendum erit in actu intellectus etiam non imperato a voluntate posse esse meritum, ut in actu fidei. Illa vero opinio Durandi falsa est, et jam communi sensu rejecta. Simili modo posset in contrarium referri opinio tribuens appetitui sensitivo formalem libertatem. Sed illa etiam opinio falsa est. Præterquam quod illa etiam non admittit in appetitu libertatem perfectam quæ postulat indifferentiam inter honestum et turpe, sed inferiorem quæ ad meritum non sufficit. Et fortasse quippiam simile dicere posset Durandus de libertate intellectus. Solum ergo superest in hoc puncto advertendum, nomine *imperii* voluntatis, comprehendendam esse non solum motionem activam voluntatis, quam in rigore significare videtur illa vox voluntati attributa, sed etiam voluntatem libere *acceptantem* externam mo-

tionem vel passionem. Nam passio Christi non fuit ab illius voluntate priori modo imperata, quia non fuit actio ejus, et nihilominus fuit meritoria, quia fuit libere acceptata; et idem est de passionibus Martyrum et similibus afflictionibus quas quidem homo in se non efficit, sed patienter ac voluntarie sustinet. Idemque in pravis motibus, vel delectationibus quas homo interdum ab extrinseco patitur, et nihilominus peccaminosæ fiunt, ac meritorie supplicii, si consensu sufficienter libero acceptentur. Ratio autem hujus denominationis ex dicendis patebit.

3. *Secunda suppositio.* — Unde suppono secundo actum externum et libere factum, simpliciter loquendo, esse meritorium. In hoc conveniunt omnes Theologi statim citandi, et est certissimum, quia Scriptura non solis bonis voluntatibus, sed etiam bonis operibus et laboribus, etiam corporalibus, præmium promittit, juxta illud Pauli, 2 ad Corinth. 5: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum;* et 1 ad Corinth. 15: *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Et Matt. 10, dare potum aquæ frigidæ dicitur non cariturum mercede, et idem dicitur de externa confessione Christi ibidem, et de passionibus propter Christum toleratis ibidem, et secundo ad Corinth. quarto, momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus dicitur operari in nobis, utique si voluntarie toleretur. Ratio autem est, quia actus externus, voluntarie factus, est simpliciter actus humanus et bonus, et cedit in obsequium et gloriam Dei, et ab illo vel præcipitur, vel consulitur, vel approbatur; ergo de se est capax meriti, etiam apud Deum. Sicut etiam actus malus, etiam externus, est vere peccatum, et supplicio dignus, unde etiam est necessaria confessionis materia, si peccatum mortale sit.

4. *Proponitur quæstio præsentis capituli.* — *Opinio affirmans.* — His ergo suppositis, quæstio de re superest, an actus externus habeat proprium meritum distinctum a merito voluntatis, ita ut majus præmium utrique actui simul respondeat, quam soli actui voluntatis, sive meritum actus interni et externi dicantur simpliciter duo merita, sive unum tantum quasi compositum ex illis duobus; hoc enim spectat ad quæstionem de nomine; nam res eadem est, si in actu externo ponitur intrinsecum meritum distinctum a merito, quod est